

vendendi, donec ipsis magno preceptori et fratribus dicte domus Alamanorum et ipsi domui fuerit integraliter satisfactum tam de sorte quam eciam dampnis, expensis et interesse et pena, supponens se et heredes suos et bona predicta in omnibus et singulis supradictis jurisdictioni ecclesie, renunciando omnibus beneficiis et defensionibus sibi patrocinantibus contra predicta vel aliquod predictorum, doli et in factum conditioni sine causa et omnibus aliis exceptionibus et defensionibus juris et facti presentibus et futuris, quibus ex predictis vel aliquo predictorum posset se defendere vel iuvare et maxime liberare a pena. Insuper prefatus magnus preceptor et dominus Jocelinus rogaverunt prefatum dominum archidiaconum Acconensem, ut ipsi Jocelino volenti et confitenti faceret preceptum de omnibus et singulis supradictis observandis et adimplendis et quod suam auctoritatem dicto contractui interponeret et decretum. Qui dictus dominus archidiaconus Acconensis viso et audito tenore ipsius contractus dicto contractui suam auctoritatem interposuit et decretum et precepit ipsi Jocelino volenti et confitenti, ut omnia et singula supradicta ab eo promissa debeat adimplere et observare et non contravenire per se vel per alium sub pena predicta, et eundem contractum iussit sui sigilli munimine roborari. Denique prefatus Jocelinus omnia et singula supradicta ab eo promissa iuravit tactis sacrosanctis evangeliiis ad sancta dei evangelia habere rata et firma et contra non venire, sed adimplere et solvere sine diminutione, sic eum deus adiuvet et sancta dei evangelia. Actum Accon in domo Alamanorum predicta iuxta lectum magni preceptoris supradicti. Anno domini CC° Lxxx° die xxiii^a mensis Aprilis presentibus religioso viro fratre Petro de Regio de ordine predicatorum, fratre Henrico de Bolande draperio, fratre Johanne de Saxonia locum hospitalarii tenente, fratre Hourrighuono, fratre Conrado, fratribus dicte domus Alamanorum, domino Amico Acconensi dicto Lalenan, domino Raimundo Cypren . . militibus, Georgio scriba in arabico in dicta domo, Simone de Castro regis, Perrotino fratre sepedicti Jocelini testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Ego Johannes clericus Acconensis, assisius ecclesie sancte Crucis Acconensis, sacrosancte Romane ecclesie auctoritate notarius publicus, predictis interfui rogatusque scripsi et in hanc publicam formam redegi. —

Venedig, Archivio di Stato. Atti dipl. misc. B. 9, n. 294.

10.

1286. October 16. Schuldvertrag betreffend ein von dem Deutschen Orden dem Bartholomeus de Biblio gewährtes Darlehen und die zur Rückzahlung und Sicherstellung desselben getroffenen Vereinbarungen.

In nomine domini. Amen. Per presens publicum instrumentum pateat universis, quod in presencia mei notarii infrascripti et testium subscriptorum nobilis vir